

RATIO

B

LO MEDICI






ORATIO
DE LAVDIBVS SCIENTIÆ
HABITA
IN ARCHICÆNOBIO VALLISVMBROSÆ

A D. Ambrosio Calepio S. T. M. I. V. P.
Anno Domini 1657.

Serenissimo, & Reuerendissimo Principi

CAROLO MEDICEO
S.R.E. CARD. DECANO D.








FLORENTIÆ,
Typis Ioannis Antonij de Bonardis. MDCLVII.

Superiorum permissu.







SERENISS., ET REVERENDISS.

PRINCEPS CARDINALIS.





ISI expertus fuissem in Reuerendiss. P. D. Syluano Geri hospitalitatis officia, ineuitabilis mihi erat transitus ex Cœnobitis, ad Girouagos; adeo singularis hæc virtus ignota est, vt eam non nisi in vno Congregationis nostræ Monasterio reperire potuerim; quasi in exilium acta inter has syluas, apud hos Patres tutum sibi parauit domicilium. Magna Dei prouidentia, vbi à maioribus nostris instituta, ibi perdurat illæsa. Huic oratiunculæ meæ maiora imminent pericula, nam quibus incognita est humanitas, inuisa est & scientia: Ob id pientissimas tuas exposcit manus, Serenissime, & Reuerendissime P., vt quos clementiæ effectus elargiri dignatus es Autori, impendas, & operi. Inops est verborum copiæ, & elegantiæ florum, sed Theologus loquitur, Religiosi viri auscultant, apud quos

verum pondus valet, verborum inania trasmittuntur. Benignus Altitudinis Tuæ obtutus satis ei erit ad ornamentum, mihiq; satis ad honorum. Ex sacro Archicænobio Vallisumbrosæ. Die 13. Feb. 1657.

Alt. Tuæ.

Humiliss. Seru.

D. Amb. Calepius.

Quo-



Votiens multa, ac magna, quæ in explicandis abditis scientiarum arcanis requiruntur, mente reuoluo (Illustriss. ac Reuerendiss. Abbas, Religiosissimi Auditores) imparem viribus meis materiam fuisse sortitum, non me latet decreto mihi, ac imperato tanti operis ministerio; quippe sine docendi peritia, dicendi facundia, interprætandi subtilitate, ac disserendi copia rectè exerceri non posse, & est a legibus definitum,[a] & ab earum exploratoribus vnanimiter approbatum,[b] quæ singula aliquibus perfectè contingere, vt rarum est, sic rarissimum vniuersa; mihique tardioris linguæ, impeditioris loquelę, ac blęsi oris, & si non potiora ex prędictis, gratiosiora profectò à maligna fatorum iniquitate sunt denegata. Num cum Moyses Dei amicus, ac diuinarum, humanarumquè rerum ita peritus, vt nihil in eo expectari ad omnia etiam summa peragenda posse videretur, ob hoc tantùm, quod esset elinguis, demandatum sibi à Deo ad Pharaonem legationis officium, constantissimè recusauit; cum viuus Dei sermo, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsquè ad diuisionem animæ, & spiritus, vt imposito munere fungeretur nec efficere valuit, nec præstare; Ego cum ijsdem fandi obicibus, sine ijsdem virtutum fulcimentis non dissimilem ab ea, quam ipse formidabat prouinciam assumam? Ad hanc cathedram, quę Floren-

a l.vnic. de profess.
b legisse in lo c & can. in c. 1. de mag.

rentibus ſemper ingenijs maxime patuit, poſt innumeras in addiſcendo vigilias, poſt ſummos in edocendo labores iam feſſus, ac adeo corpore ęger, vt ad leuiſſimas etiam curas ipſamet anima contremiſcat, nunc moderator aſcendam? Vna occurrit defenſio, quod amplitudinis tuæ iuſſis (Præſtantiſſime Pater Decane) obniti non debeo. Tibi cum Eccleſiæ clauuo ſummum Deus iudicium dedit, mihi obſequij gloria relicta eſt: tua in dignitate diuinam illam intueor maieſtatem, qua nil maius reperiri, vel excogitari poteſt, tuiſquè in mandatis, quaſi in quodam numine cęleſtia audire præcepta, profiteor, cum Deum audire, qui ſuperioribus obtemperant, viua ipſa veritas ſuis in verbis vſquè in Æuum duraturis perſępè nos doceat: ita dum in tuis diuinas, dum in diuinis tuas iuſſiones opere complere aggredior, magna attollor fiducia redditurum mihi Deum eloquium electum, qui, & os dat, datumquè aperit, apertum dilatat, & dilatatum ſapientia, & ſcientia replet: Verum dum ad deſtinata propero, nonnulla, ex pluribus quæ de ſcientiæ præſtantia dici poſſunt, cum à maiorum inſtitutis, tum à veterum conſuetudine, a quæ quandoquè ſine culpa, nunquam ſine conuicis antiquari poteſt, pręmittere vehementer compellor, potiſſimum vero, vt eius excellentia perſpecta veſtrum (Ornatiſſimi Iuuenes) conciliet amorem, alliciat animum, inflammet deſiderium: Quemadmodum enim tot flo-

a De hac teſtatur, Mur. or. 4.

florum admiranda varietas, tot ſaporum mira ſuauitas, tot vocum diſcors conſonantia præcipuos corporis ſenſus mulcent, atque delectant, vt nec viſu oculis, nec auditu auris, nec guſtus dulcedine expleantur, veriſſimeque, ac proprie dictum, quo plus ſunt potę, plus ſitiuntur aquæ; ita ſingularis scientiæ ſpecies, vnica literarum fragrantia, ac excellens nectar adeo mentem oblectant, vt intueri, ac guſtari nequeant, quin magnopere requirantur. Habet, & virtus ſuas illecebras. Veſtro igitur ingenio, quod velox præcurrit ætatem; veſtræ menti, quæ iam erecta non niſi ſublimia pertractat, propenſioni veſtrę, quę in bonarum artium cultum, ceù in Solem Elitropium, ſemper fertur, ac circumfertur, ſtimulos vel addere, vel innatos retinere, vt non fuerit, inutile ita fortaſſe, nec iniucundum. Quo in opere magnus mihi ſe ſe offert dicendi campus, feſtiua orandi materia, & redundans, ac celebre argumentum: quandoquidem scientiæ, quæ melior eſt auro, prętioſior argento, nullum optabile æquari poſſe, in sacris habetur oraculis. An autem, vt ex multis ſummam deliberem, parum ne vobis videtur, ab ipſa nos habere eſſe hominis, vt ab anima eſſe entis? Scitum eſt illud Abbatis acutiſſimi canonici iuris internuntij dictum, informat (inquit) scientia intellectum, vt anima corpus, ſine anima hoc puluis eſt, & cinis, ille ſine scientia inutilis materia, vtrumque ſimul ſine ea oneroſum, ne-

terræ dicam, exitiabile pondus.[a] Nouerat hoc, & ille Philoſophus apud Laeꝛtium, qui indoctum hominem ſuper lapidem ſedentem aſpiciens, lapis ſuper lapidem, exclamauit, & vetuſtiſſimi æui ſapientes, quibus in more fuit per arcanarum literarum allegorìas, & ſenſuum myſteria profundam ſapientiæ inquiſitionem, tradere, quid per Promethei Fabulam, qui ob eximiam ingenij excellentiam homines è luto finxiſſe, eoſdemque Mineruæ auxilio cęleſti igne, dicitur, animaſſe, quid, inquam, aliud innuere voluerunt, niſi ſine ſcientia homines, non homines, hominum potius eſſe imagines? quia illo adhuc tempore (quidam ait vir eruditiſſimus profeſſione monachus, dignitate abbas) infinita erat ſtultorum multitudo, quos velut platea lutum larga ignorantiæ tenebat habitudo; nonnullos colligens de medio imperitæ, ac ſtolidæ nationis illis doctrinam, velut formam humanæ impreſſit rationis; digna ſciendi norma, velut humana forma reddidit ornatos, quos inuenerat craſſa, ac deformi lippitudine luculentos.[b] O magna ſcientiæ vis; O inenarrabile doctrinæ beneficium. Quid ea nobis contingere poteſt, vel illuſtrius? Cuius gratia ad hoc luto, ab hac argilla, ac denſi corporis cęmento, quaſi eruti, in vere viros, in nobiliſſimas creaturas, in perfectas Dei imagines euadimus, proſilimus, erumpimus, euolamus? Quid vel præſtantius? cuius munere quanto magis ſecernimur à lapidibus, e-

lon-

a *Abb. in c. prudentiam de off. del.*

b *Phil. Abb de fil. cler. c. 48.*

longamur à brutis, tanto intimius cęlestibus appropiamur mentibus, adeo quod nihilo iam mediante, sentientibusque Philosophis infimum superioris naturæ cum inferioris naturæ supremo comunicare, an contigui simus, vel continui facilius contendi possit, quam definiri? Profectò tam admiranda efficit scientia, & ad tam alta spatiatur, vt apud veteres, neque homines tantum, neque Dij, sed simul vtrumque, & crediti sint, & habiti literati viri. Nonne Herculem, cui vt numini aram erexit antiquitas, calcasse monstra, necasse angues, leonem Nemæum claua percussisse, Hydram Lernæam interimisse, Aprum Erymanthium occidisse, ceruam in Menalio nemore cornua gerentem cepisse, Stymphalidas aues in nube sagittis confodisse, Antęum inter vlnas strangulasse, columnas in Oceano fixisse, Geryonem tricipitem vicisse, boues abigisse, taurũ peremisse, Achelaum Monomachia superasse, virtutis totum fuit, ac scientiæ officium? [a] Nonne Iosephi scientia seruata Ægyptus, Danielis Persia, Moysi populus Israeliticus? Sed quia his nunc vbique ad seruiendum dispersis, illis tot postea bellis, & hostium incursionibus deuastatis, atque dirutis imperfecta fortasse, videri potest illa salus, quæ tempore frangitur, perfecta vero, quę caducum æternat.

[a] *Celsa super alloquium Lusciani de Hercule Celtico. Nos inquiunt Herculem verbo, et ratione omnia opinamur effecisse. cũ sapiens fuerit.*

Nonne sempiternam tribuit scientia permanentiam nominis gloria vitæ nostræ, quæ vt vapor ex-

ter-

terminatur, ſicut nubes pertranſit, velut vmbra fugit, ceù ſumus euaneſcit, & quaſi agri flos mane albeſcens veſpere decidit, vt dubio procul tunc potiſſimũ nulli ſimus, cum maximè florere arbitramur? Dulce ſane eloquium, blandũ ſupercilium, CLARA frons, BENIGNA ſalutatio, comitas in ſocios, protectio in amicos, hoſpitalitas in extraneos, manſuetudo in hoſtes in cunctos vrbanitas magnum parant viuentibus nomen, quod tamen cognitoribus ruentibus, & ipſum ruit. Clariſſimorum Scriptorũ nomina manent in [a] animis hominum, in æternitate temoorum fama rerum, cæteros velut in glorios, ac ignobiles obliuio obruit, hi ſuis in operibus poſteritati traditi ſuperſtites ſunt, nam fama, quam ſcriptorum preſtat elegantia, durabilis eſt, fundata debiliter, leniter aucta, breui dilabitur. [b] Quæ cum ita ſint, quis ex vobis tam erit ſui immemor, quis tam contemptor, & paruipenſor, qui ad ſcientiæ acquiſitionem totis non reſpiret conatibus, quando cupido gloriæ etiam à ſapiẽtibus nouiſſima exuitur, [c] eique etiam ſepe boni indulgent? [d] Num non Seneca, cuius moralis probitas adeo eſt certa, vt inter conſultiſſimos diuinarum rerum ſcriptores non modicum ſit de eius ſalute litigium, huic conceſſit affectui; Qui pro immenſo munere habiturum ſe gratiam, & famam apud poſteros precabatur? [e] Num non Cicero magnus ille eloquentiæ parens; qui Lucceo ita ſcribere pro magnifico habuit. Te (inquit) pla-

a Franc. Petrar. de remed. vtri. for. lib. 1. dia. 117.

b Petrar. lo. praall.

c Tac. Hiſ. lib. 2.

d Tac. in vi. Agri.

e Franl Petrar. dic. dial. 117. Rodo. Lamo Epiſ. in ſpe. hum. vite lib. 1. cap. 3.

planè rogo, vt & ornes nostra fortasse, plusquam sentis, & in eo leges historiæ negligas, amicitiæq; nostrę plusculum etiam, quam concedit veritas, largiaris? [a] Num non C. Asinius, & Messala, Auintius ac Æserninius; Qui posthabita quæstuum magnitudine, famam in posteros pręmia eloquentiæ cogitarunt pulcherrima? [b] Optimi mortalium altissima cupiunt, & vt in cęteris rebus mediocritas est omnis virtus, hoc vnum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. [c] Ad hanc, pro qua tot subijt Theseus pericula, tot inijt Alexander prælia, tot certamina Pyrrus, pro qua vltimum orbis terræ terminum petijt Agricola; Vobis (Optimi Patres) facilis est, ac patens aditus humanarum, ac bonarum artium studio, quod enutritur in vmbris, augetur otio, ac exercitio perficitur, in quo quicquid molestiæ inest, potiori compensatur oblectamento, quod à veri cognitione ab ingenuis animis iucundissimum percipitur. Cæterum ea est scientiæ amplitudo, vt ne dum perpetui nominis gloriam sectatoribus suis præstet, sed ad auctoritatem habendam, ad parandas diuitias, ad summas etiam capessendas dignitates magnum conferat adiumentũ. Ire libeat per antiquos annales, & præteritorum temporum renouare memoriam. An nõ Menander poeta nouæ comediæ auctor, suauis ingenio, ac artificio politus à Regibus Ægypti, ac Macedoniæ per legatos, & classem quęsitus? [d] An non arator

Phi-

[a] Lib. Epist. 11. fa.

[b] Tac. ann. lib. 1.

[c] Tac. ann. lib. 4.

[d] Ex flor. hist.

Philosophus à Ptolomeo Philadelpho octuaginta talentis donatus? An non ab hoc ipso rege septem è Gręcia poetę inter aulicos asciti, inter proceres habiti Pleiadas appellati, in quibus Theocritus, & Lycrophon fama digna nomina? An non Dandanus Brachmanorum peritissimus senex ab Alexandro Macedone, vsque ad vltimas Indorum solitudines; Cynicumque Diogenem ab eodem vsque ad illud suum dolium, quo pro volubili vtebatur hospitiolo visitati?[a] An non Virgilius ille rusticanis parentibus natus, & Flaccus Libertino patre progenitus ad tantam gloriam, & summi Augusti gratiam peruenere, vt huic epistolarum officium obtulerit, illi vnquam nihil petenti denegauerit?[b] A senatu etiam, populoque Romano tantum honoris habitum fuisse Virgilio suum carmen in theatro recitanti, quantum rectori ipsi generis humani memoriæ proditum est.[c] Habet hoc excellens scientia possessoribus suis auctoritatem, miratoribus reuerentiam confert, & pudorem. At qui Senatus, & Populus Romanus; Augustus, & Alexander; Ptolomeus quoque cum Macedoniæ, & Ægypti Regibus, & quotquot vel excoluerunt studiosos, vel tutati sunt doctos, aut venerati, omnes vno cedunt Laurentio Mediceo, cuius humanitatis officium in Hermolaum Barbarum omnem superat loquendi facultatem.[d] Quis acciuit, ac magnificentissimè habuit Demetrium Choncondylen, Marsilium Ficinū, Geor-

a Plu. in vit. Alex.

b Suet. in vita Horatij Claud. Don. in vita Virgilij Crinitus de hō. discip. lib. 7. c. 11.

c Ex dial. de ora. ad calcem. op. Tac.

d Pe. Cri. de ho discip. lib. 16. c. 9.

Georgium Vespuccium, Christophorum Landinum, Angelum Politianum, Io: Picum Mirandulæ comitem doctissimos, & veterum auctorum peritissimos viros? Laurentius Mediceus. Tot præclarissimorũ virorum studia quis vel honoribus enutriuit, vel incoluit opibus, nonne Laurentius Mediceus? quis pulcherrima Græcorum monumenta pene oblitera- ta ęternitati restituit? Vnus Laurentius Mediceus. Quantum vno Laurentio Mediceo vniuersi debent literati viri? Quantum literę? Namque docuit hic, commentabatur alter; legerat iste, interpretatus est ille, linguas vertit in linguas, Massilius Gręciam duxit in Latium, Politianus Latinos reduxit in Gręciam.[a] Sed cur profana recolimus, cum sacra teneamus? Dauid, qui literas non didicerat, non prius regni administrationem suscepit, quam gratia Spiritus Sancti scientię donum perceperit; cuius vnctione effectus est ex pastore Doctor summus, ex Doctore imperator maximus.[b] Nec profetã ad imperium super gentes, & regna legimus vocatum, nisi habitis prius in proprio ore Domini verbis. Ecce (inquit) ad Ieremiam dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te super gentes, & regna.[c] Vnde & Ecclesia, quæ secundum Dei monita, proprias dirigit actiones ad pastorale fastigium, non nisi ex omni populo doctiores prouehit, quibus nihil sapientiæ, nihil scientię, nihil desit industriæ,[d] eisq; adsit ad eruditionem humanarum literarum peritia,[e] ad ędifica-

a Ex incert. Auc.

b Can. quis ecclesiastici hinc etiam.

c Ex toto Tex qui ecclesiasticis.

d Can. licet ergo 7. qu. p.

e Can. legimus distin. 37. et can. seq.

ficationem sacrorum canonum cognitio, [a] ad satisfactionem reddendam petentibus noui, ac veteris testamenti intelligentia. [b] Hos nobilibus ęquat, specialibus priuilegijs prosequitur, pinguioribus præbendis subleuat. [c] Hos ad spiritualia dirigenda dicit necessarios, & ad temporalia tractanda maxime opportunos, quibus Ecclesia indigere fassi sunt quãdoq; ipsimet Pontifices maximi. [d] Per hos quasi per stellas in perpetuas æternitates emicantes totum illuminari mundum, testatur Imperator, per hos subditorum informari vitam à Deo, ac ministris eius parendum iterum profitentur Præsules summi. [e] Igitur si apud vos (Pijssimi Patres) humana dignitas, si prospera memoria, si auctoritas, si spirituale profectum, si temporale commodum, si vestra, & publica cura aliquid habēt impensi, progredimini ad scientias comparandas, ad hanc enitimini, hoc laborate: Omnia ad hoc incitamenta pro vobis sunt. Loci solitudo, vt contraria illecebris, sic studio aptissima, & remoti à sollicitudinibus, & curis, ab hominum obsidionibus, & exagitationibus mundi, a quibus, & cordatorum hominum animus defatigatur ad sacros hos montes euocati in his fontibus Hippocrenæ pulchrioribus, amęnioribus Castalio, vobis erit scientiæ aquas suauius aurire, quam fuisse Musis iucundum fabulosè dixere Poetæ. Quod si Q. Maximus, & P. Scipio cum maiorum imagines intuerentur, ad virtutem vehementissime accendeban-

a Can. nulli sacerd. dist. 28. can. qui episc. dis 23
b dicto can. qui epis abb in c. cum in cunctis de elect
c Abb. et to8. DD. in c. de multa de preben.
d In c. cum ex eo de elect. in 6.
e In Aut. habita Co. ne filius pro pa. Not. in ca. super specula de mag.

bantur; [a] in tot viros in hoc Archicenobio spiritualiter natos, quorum effigies vbiq; effulgent, quorum doctrina profligatis Simoniacis, deuictis Nicolaitis hæc Dei nauis ab alternantibus fluctuum tumoribus maximè exagitata, ac penè demersa tranquillitati reddita est, vestros cogitatus iactate, vt eorum vestigia sequendo neq; vos religionis, neq; religionem vestrum pęniteat. Sane imperante Illustriss. ac Reuerendiss. D. Syluano Gerio, qui pro laboribus plurimis, pro moribus castis, pro actibus strenuis ad summum Religionis gradum, olim euectus, nunc ad huius cęnobij felicitatem, pastor datus præcipuus vitiorum vltor, altor virtutum, dum quod egit, & exigit; studia, quę probis iucunda, eadem etiam ignauis tutissima sunt: neq; Perillustris, ac admodum Reu. P. D. Bruno Bruni, homo mihi homini Deus, cui etsi satis ad gloriam sit ex antiquissima, ac recepta consuetudine Abbatibus proximũ esse, [b] dum ex speciali permissione prioris claustralis munere fungitur, aut sinet sine præmijs laborem, aut sine animaduersione desidiam. Dixi.

a *Sal. de bel. Ingur.*

b *Decanus Vall. pr. habet post Abbates prælationẽ ex antiquiss. consuet. exercet Prioris officium ex permissione ca. 29. Costit. Ord.*



